

rit, mihi plane ignotum; sed ex Registro Monasterii Burtoniensis xx Oras valere duas Argenti Marcas observavi.

Comites è variis familiis præter illos quos dixi, Sarisburia, paucos hæc Provincia numerat, nam ut Weolsthanum ante Normannicam victoriam mittam, nullum (quod sciam) ante Richardi II tempora habuit, qui Guilielmum *Le Scrope* eo honoris extulit, sed hujus felicitas cum suo principe & stetit, & cecidit: quum enim ille regno exturbatus, hic capite mulctatus. Nec multis post annis successorem habuit Iacobum *Butlerum* Ormandia Comitem ab Henrico VI evectum. Inde cum Lancastrenses jacerent ille proscriptus, & hunc titulum *Ioannes Stafford* minor Humfredi Ducis Buckinghamia filius Beneficio Edwardi IIII accepit, cui successit filius Edwardus sine liberis defunctus. Eundem honorem postea contulit Henr. VIII Henrico *Stafford* ex eadem Buckinghamiensi familia, quo aliquandiu

ille gavifus sine prole diem obiit. Demum ejusdem Regis gratia in Bolleniorum familiam intulit, Thomam enim *Bollen* Vicecomitem *Rochfort*, natum ex altera hærede Thomæ *Butler* Comitis Ormondia, Wiltonia Comitem creavit. Cujus filia Anna à Rege in matrimonium assumpta, facto sibi & fratri funesto, parentibus acerbo, sed Angliæ fausto. Reginam enim Elizabetham principem optimam, ob rempublicam prudentissime administratam, & suas virtutes supra sexum heroicis illustrissima laude celebrandam nobis peperit. Cæterum cum Thomas *Bollen* angore confectus ex infelici liberorum fato, sine prole mascula exirasset; jacuit hic titulus donec Edwardus VI Guilielmo *Powlet* Domino *S. Iohn de Basing* contulerit, quem mox Marchionem Wintonia, & summum Angliæ Quæstorem constituit, in cujus familia etiamnum permanet.

Elizabetha Regina.

Vide Basing in Hantsire.

*Paræcias 304 continet hic Comitatus.*

H A N T S H I R E .

**P**roxima est Wiltoniensibus, quæ quondam Saxonibus *Hanteschyr*, nunc vulgo *Hantsire* cujus partem mediterraneam ad Belgas, maritimam ad *Regnos* antiquum Britannia populum spectasse non est cur dubitemus. Ab occasu Dorsetiam, & Wiltoniam, ab Austro Oceanum, ab Ortu Suffexiam & Surreiam, & à Septentrione Bercheriam attingit. Provinciola est frugum proventu ferax, sylvarum densitate alicubi amœna, pasuorum fecunditate læta, & à maritimis commoditatibus felicissima; utpote quæ crebris interscissa æstuariis mercaturis faciendis admodum opportuna. In Romanorum potestatem cum primis redactam fuisse creditur, Historiæ enim nostræ produnt *Vespasianum* debellasse, & in hac re ut credamus ratio satis probabilis postulat. Dio enim testatur *Plautium* & *Vespasianum*, cum sub Claudio Britanniam aggrederebantur, copias in tres partes distributis, ne uno loco appellentes littore prohiberi possint, insulam petiisse: & ex *Suetonio* docemur *Vespasianum* in ea expeditione tricies cum hoste pugnasse, *Vectam* insulam, quæ huic agro objacet, & duas validissimas gentes in deditioem redeisse. Ob quas *Victorias*, & Oceanum feliciter permensum, ipsum *Vespasianum*, quasi *Cæsare* feliciorum sic affatur *Val. Flaccus*,

*Vespasianus.*

*O tu pelagi cui major aperti*

*Fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit*  
*Oceanus, Phrygius prius indignatus Iulos.*

Et de ipso cecinit *Appollonius Collatius Novariensis*,

*Ille quidem nuper felici Marte Britannos*  
*Fuderat.*

Quomodo vero in hoc bello, *Vespasianum* à Britannis arctissime obsessum *Titus* filius periculo exemit, quomodo item anguis innoxius ipsum *Britannia*.

tunc temporis complexus est, quod in Imperii omen arripuit, tibi dixerint *Dio*, & *Forcatulus*. Ego vero quod instituti mei est, ab Occidentali hujus provinciæ limine exorsus, primum oram maritimam, & quæ effunduntur flumina, deinde interiora perambulabo.

Iuxta Occidentalem limitem alveum placide agit *Avena*, & ubi primum hunc agrum influit, *Cerdici* est vadum, olim *Cerdicks-ford*, postea *Cerdeford*, nunc contracto vocabulo *Chardford* à *Cerdico* bellicoso Saxone denominatum. Hic enim *Cerdicus* ille collatis cum Britannis signis ita eos fregit, ut non solum imperii sui fines protenderit, sed etiam facile bellum posteris tradiderit. Cum antea anno Salutis *DVIII*, magna belli contentione *Natanleod* potentissimum Britannorum Regem, qui *Nazaleod* etiam aliis vocatur, cum magno Britannorum numero hoc tractu superavisset. E cujus etiam nomine regiunculam usque ad hunc locum *Natanleod* appellatam fuisse in Anglo-Saxonum *Annalibus* legimus, quam curiosior investigavi, sed ne tenuis ejus nominis vestigium hæctenus inveni, nec quis ille fuerit *Natanleod*, ariolari possum. Verum illo eodẽ tempore *Aurelium Ambrosium* in hoc tractu, alternante fortuna prælia cum Saxonibus subinde conferuisse certissimum; cujus tamen Anglo-Saxonum illi *Annales* nusquam meminerunt, qui, quod observavi, prælia sibi secunda, nunquã adversa propenso nimis in se ipsos studio, tantum commemorarunt. Inde flumen delabitur per *Regnewood*, five *Rinwood*, in libro Angliæ Censuali *Rincewed*. Quod *REGNUM* fuisse Regnorum oppidum, cujus meminit *Antoninus*, cum itineris ratio, tum nominis reliquiæ, & significatio fidem faciunt: *Ringwood* enim Saxonica adjectione, *REGNORVM* sylvam significare videtur. Magni nominis olim fuisse, Centuria quæ adjacet inde nominata persuadet, nunc tantum rerum venalium foro est celebre. Hinc digressus *Avena* hospitio suo

*Avena fl. five Avena Cerdickesford.*

5091. *Cerdici vadum.*

*Natanleod five Nazaleod.*

An *Natanleod* & *Aurelius Ambrosius* idem.

*Regnum. Ringwood.*